



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Catena Aurea

Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>

[S.l.], 1661

Anrede

urn:nbn:de:hbz:466:1-7709

3.
REVERENDISSIME ET ILLUSTRISSIME
PRINCEPS
DOMINE CLEMENTISSIME.



Onferent ad hanc diem exornandā alii alia, quæ aut dignitas cujusque, aut o- pes, aut amor postulabit. Nos aliud, quàm ferimus, non decet ferre. *Catenam* ferimus, sed tuam. *Annulos* dedicamus, sed Tuos. Offerent alii, quæ sua sunt, nos offerimus, quæ Tua sunt; & quam alii ex suis, nos ex tuis speramus gratiam. Si aliena tibi placebunt, sat scio propria non displicebunt. Primos in *Catena Annulos* nectunt Illustres Natales, Avi, Proavi, Patruī, Propatruī, qui si *Tui* non sunt, non video, quid *Tuum* sit, & tamen Poëtas occinentes audio

*Et Genus & Proavos, & quæ non fecimus ipsi
Vix ea nostra puto*

Faciunt scilicet tanto acumine, ut ex propinquis alieni, ex liberis sèrvi, ex *Suis* poëtæ fiant non *Sui*. Audite Poëtæ. *Ipsè fecit nos, & non ipsi nos*. Nec tamen continuo nostri esse desinimus, aut nostra porro nostra non sunt, quia ab iplo facta sunt. Credo, Poëtæ, *Domos quoque vestras*, vestras esse negabitis, quia alius ædificarit; nec vinea, nec fundos vestros dicere audebitis, quos parentes olim plantarint, conserverint, nūc vero jure hæreditario ad vos devoluti sunt. Aut si vestros titulo hæreditatis agnoscitis, erratis profecto quotquot gloriam canitis Majorumque laudes ad posteros minimè pertinere; quasi verò in adeunda hæreditate melior sit conditio glebæ, quàm gloriæ.

Proximos *Annulos Virtus* faciunt & *Eruditio* secus fortè quàm Sapientes expectarant, ii primas ubique *Virtuti & Scientiæ* deferunt; secundas Natalibus; nihil contra sapientiam admittimus si ordines distinguimus Originis & Dignitatis. Qui ordinem sequetur Dignitatis, *Virtutem* utique & literas ante Natales collocabit, nos, quibus ordo magis placet originis, avos, proavosque, qui priores sunt tempore, jura praponimus iis, quæ tempore sunt posteriora. Parùm inter



est. quis, quem sequatur Annulus, dum *Tuos* esse ambos tueamur: *Virtus* autem & *Scientia Tua*, tam tua est, ut alterius esse non possit: Honor, Splendor, Fama Majorum & cætera omnia, quæ ad posteros transeunt, fuere aliquando aliorum: *Virtus* artesq; ita nostræ sunt, ut nunquam possint non esse nostræ. Alias res emere, vendere possumus, *Virtutes* nec emimus, nec vendimus, dominum non mutant suum: res alias invitis nobis fures, sublegere, hostes eripere possunt; *Virtutem* & *scientiam* inviti, ut nec accipimus, ita nec amittimus, sui semper juris sunt, alieni nunquam. Supra fortunam omnem injuriam positæ de possessione nunquam timent depelli, quia bona sua intra se clausa habent, nihil extrâ aliis credunt, Omnia sua semper secum portant.

Sequentes *Annulos Sensus* fabricavit existimatio & commendatio aliena. Hos quoque *Tuos* esse judicamus, nō deerūt qui alienos putent, propterea quod Honor est in honorante non in honorato, quod judicia in alieno non proprio nascuntur cerebro. At nesciunt, certè nescire volunt, quæ aliena sunt, nostra fieri cum dantur. Honos ab honorante transit in honoratum, cum honorem tribuis; postquam tribuisti, tuus esse desit, illius esse cœpit, quem honoras; à te accipit, quod non habebat, sed pridem debebatur; quod autem debetur eius proprium esse dicimus cui debetur. Quare ut honorem *Virtus* aliquando non habeat, semper tamen mereatur. De iudicio quid dicam? prius honore dignum mens intus iudicat, quàm foris lingua aut manus deferat. Verbo, Honorem *Virtuti* prior tribuit animus, posterius corpus.

Ultimos *Annulos* aptant *Societas IESU & Academia Theodoriana*, utraque *Tua*, quia à gente FURSTENBERGICA utraque fundata, utraque exædificata est. Utraque *Tua* est, quia tantæ magnificentia benevolentiaque pares gratias nunquam se posse solvere profitentur.

Accipe ILLUSTRISIME PRINCEPS IN CATENA non aurum sed animum, non donum, sed donantium affectum, ut quod nostra tenuitas facit minus, tua facilitas faciat majus.

Ita rogemus

REVERENDISSIMÆ AC ILLUSTRISIMÆ TUÆ CELSITUDINIS

Clientes Devotissimi

COLLEGIUM ET ACADEMIA PADERANA,

ANNY